BARTHOLOMAEUS DE MONTAGNANA

Salzburg, 1471 Seite 219v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8258
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



crus et tibiam notabili magnitudine et transcendenti omnem quantitatem speciei humane conuenientem. Intantum ut fiat membrum paciens grossum grossitudine maiori duorum uel trium pedum. Et hec quidem egritudo elephantica nominatur dispositio propterea quia sicut elephas mole omnium suorum membrorum excedit omnium aliorum animalium quantitatem. Ita et in hac egritudine membra extreme magnificata elephantica nominantur. Quibus ex dictis non minus speculandum est quod si materie harum egritudinum quam elephantiam faciunt non conuenienter quantum oportet regantur. a virtute regimine digestionis et euacuationis, tunc corrumpuntur non raro ymo ut in pluribus apostemata et vlcera efficientes in membris que sunt difficillime curationis intantum ut pluries ~~in anno~~ in anno erumpunt. emittentes virulentas humiditates deinde apparenter consolidantur, et iterum denuo corrumpuntur circulariter reuolute. ut quater uel quinquies hoc contingat, et hec determinatio talis est, dato quod sit lassitudini vlcerose coniuncta tamen minus mala et minus suspecta est quam 2a de predictis. Hec ibi. Est sententia omnium sapientum colligenda 22a tercii et pluries alibi. Ex quibus omnibus colliguntur corolaria plura. Primum est quid sit subiectum in hac egritudine. Subiectum enim inhesionis sunt humores predicti. Subiectum vero denominationis est totum crus. Secundo quod materialis causa harum dispositionum egritudinalium est duplex scilicet sanguis melancolicus ypostasiuus aut sanguis flegmaticus

Quid est in re elephantia

De vlceribus in pedibus vnde proueniant.

muscillaginoso flegmate inspissatus aut flegmate vitreo. Sequitur 3o quod facile est ex predictis dinoscere varices melancolicas a flegmaticis. Sequitur 4to quod de nuo harum dispositionum seu egritudinum leuior est prima que prouenit a materia in venis inuenta et ab eis non effusa. Sequitur quinto quod pessima est secunda species que dicitur elephantica quantum est ad curam, et pessima est pacienti, quia producit ipsum ad impotentiam motus progressiui, ut est videre multos tales ante fores ecclesiarum. Sequitur 6to quod tercia species que terminatur ad vlcera adhuc pessima est respectu prime, leuior tamen quam secunda quoniam in tercia euacuatur materie a membro paciente et a toto corpore, et alleuiatur eger ex hijs. In prima autem et secunda speciebus non contingit hoc. Sequitur 7mo quod oportet istum virum cautum esse et promptum ne prima species transmutetur in 2am, et iterum 2a in terciam, sicut ex predictis colligi potest. Regimen autem harum dispositionum succincte pertranseundo ordinandum est, premittendo primo quod iste vir euitet cibos omnes qui sunt velut panem fusuraceum, azimum non bene coctum et vehementer torrefactum. Et caueat a pane de ordeo et de spelta, et de carnibus euitet omnes antiquarum etatum, magnorum corporum, macras, et melancolicas naturaliter ut est caro bubalina caro ceruina et leporum, apri et capre, caro mergi et auium maritimarum

male digestionis